ligneum corio coopertum suillo lucido lineis impressis ornato et munitum bullis, lamellis angulis adaptatis, petiolis duobusque uncinulis aurichalceis. In operculo anteriore sub lamina cornea margine aurichalceo circumdata titulus in schedula membranea scriptus: 'Sūma Indulgenciarum. Et zophologiū Sapiencie.' Continentur hoc codice:

1. fol. 1-321 Nicolaus Weigel, Summa indulgentiarum.
   In fine operis (fol. 302 vb): laus tibi sit christe qui (sic! l. quoniam) Liber explicit iste; in fine registri (fol. 321 va): 'Non laus scriptori Sed laus sancto genitori.'
   fol. 322 scriptura vacat.
2. fol. 323-429 Jacobus Magni, Sophologium.
   In fine: 'Anno domini M° cccc° lxx° || Explicit liber iste laus et gloria tibi Jesu Christe Amen.'

Poss.: Fuit ecclesiae Marianae, cuius signum (‡A) exhibet folium primum in superiore margine.

## Ms. theol. lat. 50

(veteres signaturae FF 11, 15; 99)

vol. 7.15/2.

Saec. 15., chartaceus, 2° (43:29 cm.) foliorum 324 (a vetere manu rubris numeris inscriptorum), bipartitis paginis a diversis manibus scriptus; litt. init. insunt rubrae et caeruleae (in fol. 317 v una littera init. exsecta est), in marginibus sparsim notae sunt additae. Tegumentum vetus perbene conservatum ligneum corio coopertum fusco figuris ornato cultello incisis et munitum bullis, lamellis angulis adaptatis, olim etiam uncinulis duobus et catena. Inest:

Explicationes epistolarum dominicalium, qui titulus in margine superiore primi folii a manu saec. 17. exaratus invenitur, in fine operis legitur: 'Et sic est